


AK. 274, 20.



CASTOR ET POLLUX,
Sidera Cœlo recepta, Exempla in Terram reducta.

Quod est,

THOMAS
STEGERUS,
ET
SIMON
LÖFLERUS,
AMBO

SS. Theolog. Licentiati dignissimi, & ad D.

Thomæ Archi-Diaconi Vigilantissimi,
Superiori Anno, Ille XVII. Martii, Hic XXIV. Sept.

Beatè Mortui, *x 212 u 913*

Et Hoc, XVII. Jul. in Academicā Panegyri,

Qvâ sex Philosophiæ Baccalaurei solenniter
creabantur,

Cupidæ divinarum atqve humanarum literarum
Juventuti ad imitandum propositi.

Dixit

L. VALENT. ALBERTI, P.P.

LIPSIAE,

Typis & Sumptibus CHRISTIANI MICHAELIS,
Anno M DC LXXV.



JACOBO THOMASIO, V.C.

Collegæ, Compatriac Amico Meo Conjunctionissimo, plurimumque
honorando S. P.

Nuper admodum unius anni effluxit spatium, ex quo Orationem Tuam,
Vir Amicissime, quâ errorem de præexistentia animarum humanarum tam for-
titer quâm disertè rejicis, meo nomini inscripsisti. Cave verò putas, me men-
tionem ejus facere, ut occasionem captem assentandi Tibi; nam hoc ipso defice-
rem à genio amicitiæ nostræ, ex cuius præscripto hæc compellatio mea tantum
debet abesse ab omni specie adulatio*nis*, quantum abest à necessitate. Nec o-
pus est laudare scriptum illud Tuum, cui jam contigit Laudator Celeberrimus,
Balthasar Bebelius, Amicus Meus Tui similis, quod est, candidus & à multis annis
charissimus, in Libello *adversus præexistentiam animarum humanarum*, hoc anno
in lucem publicam emissō, pag. 10. Studium autem placendi dum declino, in al-
terum extreum rapior & vindictæ studeo. Hæc enim factum illud, quô publi-
cè orationem mihi Tuam obtulisti, dignissimum esse censeo; sed non aliâ, quâm
quæ amicitiâ nostrâ videri possit digna. Affectum itaque ante omnia pro asse-
stu, & deinde chartam pro chartis reddo; sperans fore, ut hanc ultionis speci-
em, tanquam specimen amoris, mitius interpreteris; præsertim cùm Tu, sicut
in dedicando, ita in evulgando hanc orationem, seduxeris me primus. Audeo
enim illa, ut verum fatear, in lucem prodire, Te monitore; non minùs ac me
Tibi Tuam edituro calcar addidisse, in dedicatione scribis. Nostri locum, Con-
ventibus Ordinis Nostri à Majoribus destinatum, in quo pagellas has, postqvam
eas recitaveram modò, ferventes adhuc à calamo oreque; meo ut typis commit-
terem, Autor mihi, nihil tale meditanti, sponte tuâ fuisti. Parui itaque, sed, tu-
um exemplum secutus, eum, qui duxit me aut seduxit, honore inscriptionis in
ipso limine onerare volui; certâ spe fatus, fore, ut Amplissimæ illæ hujus Urbis
Familiae, quibus Par Beatissimum, à me jam celebratum, vel natalibus vel con-
jugiis infertum fuit, in primis Amantissimus utriusque; Nostrum, *Adrianus Ste-
gerus*, Ædilis Urbis meritissimus, hoc officium meum, quod, viventibus insciis,
præstigi beatè mortuis, minùs ægrè ferant, si meò consilio id quidem susceptum
ac persolutum, sed Tuo, *Thomasi*, calculò post approbatum & jam consumma-
tum viderint. Idem à reliquis omnibus, qui Stegerum & Löfferum, etiam post fa-
ta, amant & æstimant, promitto mihi commodum; alterum autem, quod ac-
cessurum spero, Tibi mihique; commune erit, nimirum ut intelligat Benevolus Le-
ctor, in præfatione non minùs ac in Oratione Duos jungi Amicissimos, in quo-
rum vitam, non in fidem, jus habebunt fata. B. V. è Mus. Cal. Aug. 1675.

Tunc

ALBERTI.



C. B. D.

Ogitanti Mihi, de qvo argu-
mento hodiè verba facerem ad Vos,
Auditores, & qvò modò in eo versa-
rer, incidit illud verissimum pariter ac
tritissimum, qvò *exempla*, dūm videntur monere
tantùm, *movere* dicimus. Memor enim officiï
mei, qvod beneficio sortis nunc gero, electus ad
creandos bonarum artium & Philosophiæ Bacca-
laureos, putavi me rectius eo defungi non posse,
qvàm si dicerem de re, qvæ Studiosam Juventutem
ad amorem virtutis & doctrinæ inflammare possit;
nec esse quidquam, qvod fortius exemplis id præ-
stare queat. De Julio Cæsare notum est, qvàm ve-
hementer exemplo Alexandri M. ad egregia non
minùs facinora edenda, qvàm ad lacrymas funden-
das aut gemitus ducendos exstimulatus fuerit: Et
in Scholis, Plato, Aristoteles, omniumqve Secta-
rum Coryphæi, magneticâ hâc virtute pertraxe-
runt tot ad se vel æmulos vel sectatores. Tantam
verò efficaciam cùm exempla in seipsis habeant,
qvæ muti tantùm aut etiam mortui Oratores vi-
dentur

dentur esse: quid sperandum ac expectandum erit,
ubi viva vox dicentis accedit, eisqve pondus adjicit
non planè nullum? Inqvirenti autem mihi in hu-
jusmodi exemplum, qvod ad rem præsentem face-
ret, duo protinùs succurrerunt sponte, eaqve tām
exquisita atqve apta, ut examissim huc quadrare
videantur; tantum abest, ut lucerna Diogenis ad
qværendum unum opus habuerim. STEGERUS
nimirum ac LÖFLERUS, Viri & eruditione vitæ-
qve probitate conspicui, & meritis tām in Rempu-
blicam literariam, qvām in Ecclesiam graves, ocu-
lis obversati sunt meis, mortui qvidem superiori an-
no, sed qvi vivunt, viventqve semper, atqve etiam
latius in memoria hominum & sermone versan-
tur, postqvam ab oculis recesserunt. Non diffite-
or, *Auditores*, me tacitè gratulatum fuisse mihi de
tām eximia meoqve voto ac tempori consentanea
materia, haud aliter, ac si thesaurum magni pretii
invenissem. Qvod si enim, juxta monitū Philosophi
(a), exempla debem⁹ afferre, qualia Homerus olim,
non qualia Chœrilus, adhibuit, apta omnino, aperta
atque perspicua: Me in clarissima longeqve con-
venientissima incidisse, certissimè deprehendi. Illi
enim, qvos viventes tanqva exemplar virtutis &
exqui-

(a) Aristotel. L. VIII. Topic. c. 1. infine: Παραδείγματα δὲ ὄκεια, καὶ εἰ-
δῶν ἵσμων, οἷα ὅμηρος, μὴ οἷα χοιρίλος.

exquisitæ eruditionis venerati sumus; qvos mortuos, hōc nomine desideravimus ac deploravimus; non possunt non, si suis coloribus depingantur, usum speculi præstare Juventuti, qvæ ad exemplum eorum formari debet & informari. Præterea illi foris ac domi tām boñi fuére nominis, ut Virtus eorum ac fama nostrum de se silentium nimis astrigetum liberiori alterius lingvâ vindicare possit. De Rhodigio, nobili Venetæ ditionis civitate, referunt, (b) qvod exuvias Civis sui Clarissimi, Ludovici Cœlii, terræ mandatas sine publico affectū & honoris testimonio despectas reliquerit. Hoc sepulchri dedecus cùm Germanus quidam inter peregrinandum contemplatus esset, veluti indignabundus & civibus ignominiam exprobraturus, extracto pugione, strato lateritio inscripsit:

Hic jacet tantus Vir!

Idem ut nobis Academicis, hactenus tacitis STEGERI & LÖFLERI Admiratoribus, objici ne posset, volui ego vacuam occupare provinciam, deq; publico simul, simul de Amicis meis, etiam post fata charissimis, non malè mereri. Fateor quidem, utrumque dignissimum esse, cui seorsim, & in so-

A 3

len-

(b) Jacob. Philipp. Tomafinus in Illustr. Viror. vitiis pag. 69. Addit ibid. hujus rei famā, tanquam ingenuo pudore excitatum Jo. Bonifacium JGt. & Historic. Clariß. statuam ei cum inscriptione erexit.

Ienniori qvidem Panegyri, quæ majori ceremonia-
rum apparatu resplendeat, in primis autem ab O-
ratore magis diserto, hic honor exhibatur. Non
enim Suffenus sum mihi, *Auditores*, ut putem, me,
præ aliis, de tantis Viris digna eloqui posse: nec ne-
scius sum, suis hunc actum limitibus circumscri-
ptum esse, qui tam amplio argumento vix capiendo
essent, etiamsi eloquentissimus in eo occuparetur.
Sed plus ponderis, *Auditores*, patiemini inesse a-
mori meo, quò commodum publicum & Manes
Amicissimorum meorum prosequor. Mihi itaque,
sive excedam, sive deficiam, id omne spero benignè
condonabis, & de duobus, quos Patria, Studio-
rum & officiorum similitudo, affinitas & fata deni-
que ipsa, quam proximè conjunxerunt, unâ oratio-
ne dicturo benivolas aures præbebitis. Vos autem,
Studiosi Juvenes, ne attendite tantum, sed & in mo-
rem Nostrorum honestè ac amicè contendite, eaq;
quæ ad imitationem à me proponentur, in com-
modum vestrum promptissimè suo loco atque
tempore exequimini.

Ego verò dūm ad ortum siderum nostrorum
respicio, quid videre mihi videor, *Auditores*? quis
splendor totam hanç urbem derepentè collustiat,
Viri Lipsiensis? Lumen, idque non unum sed ge-
minum,

minum, conspicio, paris fulgoris summæque in
has oras, qvibus imminet, benignitatis. Qvod si fa-
bulis apud nos Christianos aliquis esset locus, Ca-
storem ac Pollucem oriri crederem; tam auspicia-
tum ac unitum est jubar duorum, qvi ad nos illud
conjunctionem mittunt. Sed agnoſco amabiles vul-
tus lætissimasque facies Meorum, STEGERI &
LÖFLERI, qui Castore magis ac Polluce fulgent
qvasi splendor firmamenti, & qvasi stellæ in perpe-
tuas æternitates. Ab ovo verò dum rem incipio,
eodem qvidem ovō, qvem in modum supersticio
gentilium Geminos suos somniavit editos fuisse,
Par Nostrum progenitum, aut, Christiano magis
ſtilo, iisdem Parentibus natum esse, dicer non pos-
sum; cùm vel ſola nomina, qvæ jam aliquoties ex
me audita ſunt, diversam utriusque gentem non
minus diſtingvant ac venerabilem apud omnes
clarissimamque præſtent. Eadem tamen Patriā
gaudent, quæ, teste Eloquentiæ Parente Cicerone,
antiquissima & sanctissima parens eſt. Hic verò ſi
in laudes ejus excurrere animus eſſet, quām amplius
mihi campus aperiretur, *Auditores?* Lipsia enim,
cui tam felici eſſe licuit, ut hos Geminos pareret,
tantæ celebritatis eſt jure ſuo omniumque conſen-
ſu, ut à Principe Geographorum (c) inter tres Ger-
maniæ

(c) Cluver. *Introd. in Geograph.* L. 3. c. 13. n. 4. *Tres pulcherrima Germania urbes Monachum, Umatislavia, Lipsiam.*

maniæ Charites numeretur, Monachioque ac Ural-
tislaviae præ tot innumetis aliis sola adjungatur.
Memini verò ejus, quod Joachimus Camerarius
(d), cuius effigiem hoc Auditorium, meritaverò to-
ta Academia, & doctrinam universus orbis erudi-
tus suspicit ac admiratur, ad Baumgartnerum, Se-
natorem Norimbergensem, superiori seculo per-
scribebat: *Civitatis*, inqviens, *splendor eximius*
est, sed nihil ad nos. Nolim autem inficias ire, aut
coram Vobis, *Auditores*, dissimulare, hæc à tam
verecundi oris viro dicta fuisse non sine stomacho
& solicitudine, quâ fortuna illum, urbi magis quam
Academiæ Lipsiensi tūm favens, permoverat. Ve-
nerat nimirum Vir Summus Lipsiam, eâ opinione
(e) de Academia, ac si optimè jam esset constituta.
Sed incidebat in periculosas ac difficiles delibera-
tiones, quæ in reformanda, à morte Ducis Georgii,
Academiâ, instituendæ, & non paucis pòst annis
continuandæ erant. Putabat, pacem Lipsiæ pro-
priam perpetuamque esse, ut litterularum suarum,
ceu loquitur ipse (f), culturam in ocio exercere
posset. Sed præter illam Academiæ motionem ac
muta-

(d) *Epist. famil. L. 3. pag. 210.* Scripsit autem hanc Epistolam Anno
1542. 14. Cal. April.

(e) *Epist. famil. L. I. pag. 40. ad Carolovicum:* *Omnino in Academiam*
benè constitutam me venturum esse putabam.

(f) *Ibid.*

mutationem, metus belli mox turbabat omnia.
Hinc querelæ ejus (*g*) de ejectione ex ædibus Academicis, quas inhabitabat, cum in eam oppidi partem & præsidia de improviso introductum & impetum hostilem incitatum iri appareret. In tam turbulentio rerum Academicarum statu ædificia urbis sarta testaque permanebant, & splendorem suum, quo jam tum haud vulgariter enitebant, tuebantur. Inde vox Oraculi Nostri: *Civitatis splendor extremus est, sed nihil ad nos.* Etsi verò Academia, cui sic conqueratur, causas omnino easdem hodie, DE I gratiâ, non habet; ego tamen splendorem illum omnem nihil ad nos esse, rectissimè dicam, firmissimeque asseverabo. Nitor enim ædificiorum, ac totius urbis elegantia, quid faciat ad ingenia nascendorum, quæ à natura, non ab arte, dependent? Romæ erat natus Tarquinius Sextus, Patriæ dissimilis, Patris simillimum monstrum. Mores nimis civium, è quibus Parentes suos accipiunt liberi, prout illi boni vel mali fuerint, non raro cum sanguine propagantur aut transferuntur cum hereditate. Hic verò Nostra, si quæ Germaniæ, civitas habet, in quo glorietur, & de quo nos ei gratulemur. Cives enim iis moribus instructos ac vir-

B

tuti-

(g) *Epist. famil. L. 2. pag. 163. ad Amicum quendam Virum precipui nominis.*

tutibus præditos alit, qvibus DEO bonisqve omni-
bus non possunt non placere, liberosqve suos ad i-
mitationem non minus ac alios ad invidiam excita-
re. Si de amore in literas ac literatos, qvi præ aliis
ad argumentum nostrum pertinet, Nostrumqve
Beatissimum Par arctissimè complexus fuit, proli-
xius agere mihi liceret, qvantam ad dicendum co-
piam hæc una mihi virtus suggereret, *Auditores? In*
bonore nos esse & diligi à primoribus Scholæ & civi-
tatis, animadvertere nobis videmur. Sic Camera-
rius iterum (h), qvi civitatis splendorem nihil ad
nos esse, modò qverebatur, imò anteqvam hoc fa-
ceret, apertè ad Baumgartnerum suum. DEO verò
sint gratiæ, qvodeandem vocem hodiè non pauci
ex nostro ordine suam facere possunt! Atqve inter
hujusmodi cives & ex talibus nati sunt Nostri, ut,
qvod amorem literatis exhibuerint, ipsiqve literati
experti sint à tota civitate, minimè opus fit admirari.
Menestheus olim, filius ille Iphicratis, Impera-
toris Atheniensis, & Tarsæ, Coti Thracum Regis fi-
liae, cùm interrogatus esset, utrum Parentem majo-
ris faceret, matrem respondit; ac, cæteris admiran-
tibus, rationem hanc dedit: qvod Pater, ducendo
Threissam, qvantum in se fuit, Thracem genuisset:
Mater, nubendo Atheniensi, Atheniensem. Nostri
verò

(h) *Epistol. famil. L. 3. p. 209. A. 1541. 3. Cal. Decembr.*

verò in qvo alterutrum Parentem præferant, in Patria non inveniunt, qvæ & Patrem & Matrem, & non paucos ex Majoribus utriqve liberalissimè de-
dit. Qvis enim, *Auditores*, ignorat STEGERUM
ex Adriano, Senatore Lipsiensi primi ordinis, natum
esse? qvis ignorat, qvi Filium ejus natu majorem
eadem subsellia ac præterea officium & dignitatem
Ædilis summa cum laude omnibus numeris hodiè
implere novit? Qvis gentem Rysseliorum, è qua
Susanna Mater oriunda, inter traduces ex Belgio
nobilissimum, hîc altas radices jamdudum egisse
nescit? Qvis auditis his Parentum nominibus, lon-
gissimam Majorum seriem, clarissimaqve ipsorum
merita, me silente, in animum non revocabit sibi
taciteq; venerabitur? Lipsia verò cùm in Misnia no-
stra sit loco Athenarum, ubi veluti disciplinæ tem-
plum, præter literas & facundiam, Justino teste, ci-
vilis etiam ordo habebat, in qvo non postremo lo-
co ponuntur Mercatores: His editum esse, in ho-
norem cedit LÖFLERO Nostro, cuius Pater Zacha-
rias, Materqve Elisabetha Scherlia, nec non pauci
Majorum ex hac civium classe erant, virtutes non
minùs ac mercaturam exercere edocti, adeò ut A-
vus ac Proavus Matris ex officinis suis in Curiam ac-
cessi & inter Patres Patriæ numerari meruerint. Ad
hanc Patriæ Parentumqve felicitatem accedebat

B 2 auspi-

auspicium temporis fortunatissimum, quô eos hōc
seculo nasci contigit; LÖFLERUM quidem anno post
vigesimū septimo, STEGERUM octavo, qvando Her-
mannus Rathmann⁹, Ecclesiæ Dantiscanæ Minister,
de verbo DEI ejusq; efficacia minùs rectè sentiens, à
Theologis Saxoniciis, autoritate publicâ, refutat⁹ fu-
it; haud sinistro omine, fore, ut Theologi, qvorum
nativitas incideret in tempus triumphati erroris, e-
gregii divinæ veritatis assertores evaderent ac defen-
sores. Prætereà, pax illo tempore has regiones, ad
qvas è vicina Bohemia ac magna Germaniæ parte
quasi exul videbatur confugisse, adhuc recreabat.
Etiam si verò hæc halcyonia non multò pòst in gra-
vissimam tempestatem degenerarent; artes tamen
pacis, ipso belli tempore, Nostri felicissimè tractare
potuerunt: tanta felicitas est Lipsiæ Nostræ, ut cùm
plurimæ urbes ne in pace quidem satis instructæ
sint ad excolendas bonas literas; hæc inter arma eas
docere addiscereque valeat. Numerus enim docto-
rum Virorum haud exiguis non potest non florere
hōc locō semper, qvō Academia viret, & prætereà
Amplissimus urbis Senatus duo seminaria in grati-
am Scholasticæ Juventutis jamdudum plantavit, nec
unquam cessat irrigare. Inter Informatores autem
Vestros, *Duum-Viri Beatissimi*, quorum plures,
singulari DEI gratiâ, habuistis fidelissimos, nomi-
nandi



nandi in primis sunt illi duo , quos diversos simul, simul eosdem experti esse videmini. Sed quid dico? Idem qui fuerunt, quomodo diversi esse potuerunt? aut diversi qui extiterunt, quomodo iudicem dici à me possunt? At verò, qvos nomen reliquaq; quæ singulis hominibus sunt propria , à se invicem distinguebant, eos & eruditio excellens & dexteritas summa & perspecta in erudiendo fides, par in utroq; , quod est, incomparabilis, sic exæquabat, ut unus propè esse viderentur. RAPPOLTUS & FRANCKENSTEINIUS hi fuere; quorum ille STEGERUM domi, hic LÖFLERUM in Schola Nicolaitana tām fideliter feliciterque in omni humanioris literaturæ genere informavit, ut nec tantorum Præceptorum discipulos, nec talium discipulorum Præceptores, unquam pœnitere potuerit. Nec in his Cæsellium tantum aut Verrium, celeberrimos Grammaticos, intra Scholam admirati sunt; sed & Platones ac Aristoteles suos sequi potuerunt, postquam in hac ipsa Patria sua, quæ propria Lipsiæ felicitas est, ab inferioribus subselliis ad Cathedram sublimiorem Academicam , pedem utiliter proferre valuerunt. Sed h̄c null⁹ ab iis salt⁹ imprudenter commissus, nullum præcipitum temerariè consensum fuit. Magna hæc est temporum nostrorum labes, quod non pauci ex Scholis veniunt ad nos, qvi vel nulla humaniorum literarum notitia

imbuti sunt, vel, si qvam habent, sub primum in
Academiam ingressum , inter reliquias pulveris
Scholaſtici abjiciunt, suoque, in qvod Icario cona-
tu, utinam non eventu, evolârunt, fastigio longè in-
feriorem esse putant. Postqvam autem hòc onere,
Ætnâ ſcilicet graviori, facile ſe liberarunt, ſummâ,
qvâ fruuntur contra D E I ac Magistratus volunta-
tem, licentiâ vel ſolis vitiis dediti ſunt, vel ſtudium
ſuum perversè collocant, properantes nimis ad edi-
tiora Muſarum templa, in qvibus altiores doctrinæ
inſtillantur ; & negligentes fundamentum, ſine qvo
nemo tollitur in altum, niſi ut lapsu graviore ruat.
Longè aliter Duum-Viri Noſtri, qvi nec per negli-
gentiam aliaqve vitia turpiter , nec per induſtriam
præpoſterè peccantes, omnia ſuo ordine decenter
atqve diligenter peregerunt. Publica verò doctri-
na, qvæ ſapientiæ ac humanitatis præcepta tradit,
& vulgò Philosophiæ eſſe dicitur, à Majoribus Noſ-
tris, Viris Prudentiſſimis, in duo genera perqvām
commodè diſtributa eſt, qvorum alterum in lin-
gvis & artibus, alterum in ſcientiis & præceptis de
beatâ ac civili vita addiſcendis occupatur. His limi-
tibus fas eſt diſtingvi officia docentium, ut unus
qvisqve Spartam, qvam naectus eſt, majori ſtudio
exornare poſſit; non autem Studia diſcentium, qvæ
ab utrisqve ſimul dirigi convenit. Unum enim hic,

ſi



si ullibi, faciendum, & alterum non omittendum
est. Hinc vidissetis, *Auditores*, Duum-Viros No-
stros jam ex Rivino Poëtica & ex Kromayero Hi-
storica; ex Preibisio Physica, ex Slutero Logica, ex
Müllerio Mathematica avidè utiliterqve percipere.
Hinc audiissetis utrumque, jam svaviter & eruditè
perorantem, jam STEGERUM sub Rappolto Suo
de lætitia primùm, pòst de tristitia; LÖFLERUM sub
Mauckisio , Moderatore studiorum Academicorum
fidelissimo, de Accretione, sub Hübnero de co-
gnitione DEI naturali, fortiter & exquisitè dispu-
tantes. Enim verò sic comparatum est cum arbo-
ribus, ut postquam succum cupidè imbiberunt,
Natura foliis eas floribusqve properet exornare, e-
tiamsi fructus nondum ferre valeant: Idem in bel-
lo prudentes observant Duces, ut post mediocres e-
tiam velitationes inter strenuos milites aliqua distri-
buant præmia: Nec aliter se gerere solet Ordo Phi-
losophorum in hac Academia, qui Alumnos suos,
confectis aliquibus in cursu studiorum spatiis, ho-
nore, quem Baccalaureatum vocant, non minùs be-
nignè excipit atque recreat, quàm ad majores pro-
gressiones prudenter instigat. Ex hac causa atque
in hunc finem Par nostrum Beatissimum baccas
laureas & voluit & potuit in fronte gerere, cùm nec
indignum iis à Præceptoribus judicaretur, nec illas
suis

suis personis, more nasutolorum, indecoras fore putaret. Inter flores autem atq; fruct⁹ à Natura spatum temporis interpositum est; nec licet in militia prudenter administrata ab inferioribus officiis ad superiora graffari: Similis mora, sed absque remora, in hac Universitate mandatur illis, qui primitiis honorum Philosophicorum decerptis & ipsas aliquando decimas consequi cupiunt. Tempus enim, quod ad maturitatem Studiorum sufficere possit, ex utilitate ambientium & rigore legis publicæ oportet intercedere; quod translati in alias Academias Musis suis, protrahere Nostri quàm abrumpere maluerunt; tantum abest, ut omnia protinus alba esse putaverint, aut majoribus etiam titulis digni à recepta consuetudine in omnia alia abire voluerint. Campum autem quò patentiorem apud exterros erant inventuri, eò magis necessarium erat, ut certum studiis suis scopum præfigerent, quem utroque oculo semper contuerentur, ut in eos illud Satyrici ne quadraret:

Est aliquid, quo tendis, & in quod diriges arcum?

*An passim sequeris corvos testâq; lutoq;
Securus quò pes ferat, atq; ex tempore vivis?*

Mirum autem est, quàm in hoc convenerint No-
stri



stri examinissim; quam ad finem Studiorum ipsiusque vitæ in eo constantissimè perseverârint! De Castore alias atque Polluce narrant Poëtæ, quod cum idem vitæ auspicium habuerint, diversa ejus genera secuti sint.

*Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem,
Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem studiorum*

Millia;

Autore Venusino. Sed Nostri Gemini ad unam studiorum metam omnia consilia omnesque actiones dirigebant. Illa verò, quò propriùs ad DEUM & res divinas accedebat; nam erat, prout usus nos dignè loqui docet, Sacrosancta Theologia; cò sublimior ac difficilior aditu, sed & utilior videbatur esse. Inter alia argumenta, quibus Hyperius, (i) Calvinianæ factionis Theologus, eos, qui ad navim Ecclesiæ aliquando dirigendam aut provehendam, semel animum applicuerunt, ab obliquandis aut retrorsum dandis velis, deterrere instituit, est periculum de numero non suffecturo ad munia, quæ

C ad

(i) *Andr. Hyperius, de ratione Studii Theologici L. 4. c. 10. pag. 752. Quid verò, si tuo exemplo detrectent etiam reliqui cruditi? quanam tamen erit rerum facies? Quomodo namq; in hominum societate religio conservabitur aut dilatabitur, si nulli ad docendum sacras literas in Scholaris & Ecclesiis sese apparant?*

ad proram & puppim h̄ic, agmine facto, varios ob-
ire oportet varie. Nescio verò, paucitate an mul-
titudine eorum, qvi sacris literis nomen dederunt,
hodiè laboret Ecclesia: sic tamen omnino sentio,
nihil h̄ic absqve gravissimis rationibus immutan-
dum, nihil intermittendum esse. Facile esset, id
multis argumentorum ponderibus suffulcire, nisi
Vobis, qvorum res agitur, *Studioſi Juvenes*, exem-
plum Paris Nostri, tanquam exemplar exquisitissi-
mum, sufficere posset. Nihil enim **STEGERUS**
Argentinæ, nihil **LÖFLERUS** Jenæ, postquam ani-
mum sacrarum literarum cupidum semel attule-
rant, omiserunt eorum, qvæ ad illas addiscendas fa-
ciunt; tantum abest, ut aliam studiorum rationem
inire aut seqvi voluerint. Hinc ille Schmidium,
Dorscheum & Dannhauerum: hic Majorem,
Cundisium & Musæum; Trinum uterque perfe-
ctum; rectâ præeuntes, absqve intermissione stre-
nuè infecutus est. Tres aliàs undarum cumuli in
unum coēuntes, tempestatem gravem tam certò
creduntur indicare, ut de periculo magno & ma-
gis magisque crescente, trito in sermone proverbio
locum atqve fidem fecerint. Sed h̄ic, confluentibus
tribus utrobiq; è Sione fluminibus, tempestas nulla,
sed summa serenitas, sed maxima tranquillitas præ-
dicebatur. Nec tanta erat illorum exundatio, ut

rivu-



rivulos aliorum , qvibus Nostri in studio huma-
niorum literarum & Philosophiae adhuc erant irri-
gandi , obrueret aut reprimeret . Notus fuit Ca-
merario Nostro (k) aliquis , qvi datâ operâ malè lo-
qvebatur latinè (cùm melius ipsum , si vellet , scire
constaret ,) ideò , ut præclarior de ipso opinio esset
inter alios , in qvorum scilicet libris sic jam versare-
tur , ut prioris sermonis elegantiam deteri appare-
ret . O deplorandam barbariem ! O deridendum
ejus studium ! Nostri verò sic vacabant Theolo-
giæ , ut lingvarum atque artium , quas addidicerant
jam , atqve indies magis magisqve excolebant , non
superficiariè rationem haberent . Admirabatur Ar-
gentorati Bœclerum , grande illud seculi ornamen-
tum , STEGERUS : Jenæ Sagittarium , insigne tūm
Academiae , jam Ecclesiæ Decus , LÖFLERUS . Ab
utroqve ingens accessio in studio bonarum litera-
rum expeti non magis qvām expectari poterat ,
præsertim cùm apud Bœclerum tām facilis esset
admissionis STEGERUS , ut & moderatorem eum
in disputatione de passagiis habuerit ; & LÖFLERUS ,
præter Sagittarium , etiam Stahlium , Slevogtum
& Zeifoldum , Philosophos in Peripato Summos ,
freqenter audiret . Hactenus autem Biga No-
stra velitationibus Scholasticis non minùs ac

C 2

bello

(k) Epist. famil. L. V. pag. 412. ad Amicum quendam.

bello tota Germania , implicita fuerat: sed tempus
requirebat, ut utraque tandem quietem perciperet.
Sic Patriæ pax restituta: Sic Nostri Patriæ redditi,
inque ea Anno natali pacis, octavo & quadragesimo,
ad exambiendum supremum in Philosophia
honorem admissi fuerunt. Parva mora: quæ utilissimo
instituto apud nos variis Candidatorum ex-
ercitiis consumitur: mox anno sequente cum ap-
plausu bonorum omnium titulum & jura Magi-
sterii Lipsiensis, uno actu ambo consecuti sunt; eò
digniores hōc fastigiō, quò major indè utilitas sta-
tum in alios redundavit. Mos est in hac Acade-
mia receptus & sanctione legis communitus, ut
Magister, qui juribus frui cupit suis, officium Mo-
deratoris in disputatione publica in se recipiat, eo-
que cum laude defungatur. Hoc, cùm onus ali-
qui interpretentur forte ac deprecentur, Duum-Vi-
ri Nostri loco beneficii habebant, prompti que non
minùs ac instructi Cathedram superiorem con-
scendebant, victoriam de strenuis, et si amicissimis,
adversariis gloriösè reportantes. Publicè dūm ta-
les se præstarent, domi Scholas aperiebant, inque iis
desiderio Studiosæ Juventutis suoque officio abun-
danter satis faciebant. Hoc autem cùm & partem
temporis ac curarum, eamque præcipuam, studio
sacrarum literarum exposceret, Nostri gratulaban-

tur



us
ct.
i,
i-
ia
i-
x-
o-
j-
ò
a-
e-
ut
o-
li-
i-
n-
s,
a-
iis
n-
m
io
n-
ur

tur sibi de fidelissimis Ducibus, quos in sinu Patriæ non exiguo numero inveniebant. In hac enim fidelem Heinrici manudictionem , eloquium ac pondus Carpzovii stupendum , facundam Kromayeri perspicuitatem, solidam Geieri profunditatem, sublime Sluteri acumen, & ante omnia altissimam Hülsemanni eruditionem tam audiendo quam disputando in usum suum convertere potuerunt. Tot tantisque Doctoribus cum attulerint Nostri par ingenium debitamque industriam, non potuit non nasci eruditio summa; haud aliter ac in solo fœcundo fruges à radiis Solis facilius & felicius ad maturitatem perducuntur. Juvat tamen & hostes Ecclesiæ coram intueri, videreque, quibus Ducibus castra ipsorum dirigantur. Tam laudabili proposito anno quinto & quinquagesimo LÖLERUS præcipuas Imperii ac Helvetiæ urbes perlustravit, quodjam ante STEGERUS, cum Argentorato abiret, laudandâ ac imitandâ curiositate fecerat, qui & penetraverat in Galliam & peragraverat Belgium, ut honestæ huic cupiditati eò plenius fieret satis. Qvò propius autem uterque Autores aut Fautores errorum conspexerat, eò majus in hos odium, contra morem plerorumque peregrinantium, domum secum afferebant. Hinc in Collegiis, quæ in commodum Studiosæ Juventutis non

-egus

C 3

pauca,



pauca, nec inutilia instituerunt ; in sermonibus, qvos ad populum frequentissimè habuerunt, tam ardente zelo Auditores à vitiis fidei non minus qvàm vitæ avocare ; STEGERUS etiam absurdas Pontificiorum opiniones, de Papæ infallibilitate ac autoritate, de probabilitate, similiaqve sententiarum monstra, scriptis à se partim compositis, partim in lingvam latinam è Gallica translati, oppugnare ac triumphare. Veruntamen cùm in hostiis etiam virtus laudanda sit, iiqve, qvi à veritate divina aberrant, in humanis possint admirationi ac incitamento esse, utile est ac innoxium Theologo, hos compellare, eorumq; doctrinam, in quantum sine veneno est, in succum atq; sanguinem convertere. In hunc modum uterq; Nostrorum magnum Literatorem inter Hebræos Christianos, Buxtorffum, STEGERUS etiam Salmasium, Heinsium, Vossium ac Boxhornium adiit ; qvid adiit ? audivit & tanquam oracula eruditæ orbis consuluit. Solet tantorum virorum alloqvium animos nostros, non aliter ac in æstate Sol meridianus corpora, quasi inflammare, earumq; doctrinarum studium, qvibus alijs oblectamur , vehementius accendere ; undè factum crediderim, qvod STEGERUS amorem humiorum literarum nunquam exuere, potius cum in Collegio Gelliano, societate illa laudatissima, ad-

auge-



augere ac fovere , orationibus etiam Panegyricis in honorem Serenissimi Nostri, Dorschei ac Reinhardi dictis, inque lucem publicam emissis , coram Lipsia sua ac orbe erudito exerere visus fuerit. Ut nihil dicam, quod utrumque Buxtorffii ejusque simillium scripta, non minori aviditate quam intelligenti vi, quam pollebant, perlegisse sciam. Sed quid ulterius Duum - Viros Nostros tanquam umbras Exterorum, quorum lumen sequebantur, quasi foris consectamur, cum in splendidissima luce jam eos domi conspicere possimus? Vidimus enim hactenus eos, quam laboraverint; cur præmia eorum negliceremus? His sanè Studiosi Juvenes, in quorum gratiam nos de Tantis Viris dicturos esse, promisimus, non minùs invitandi ac monitis & præceptis impellendi sunt. Me verò ad functiones Ecclesiasticas, qvibus uterque hoc loco summa cum laude præfuit, respicere, qvis Vestrūm, *Auditores*, ignorat aut ambigit? Officium autē hoc, qvò propius salutem nostram concernit, inq; ea promovenda vicem ipsius D EI in his terris gerit, eò divinius & à nobis omnibus pro Sacrofanco habendum summeque venerandum esse, haud difficulter intellegimus. Nec fero Ego eorum subtilitatem dicam an futilitatem, quam inter officium & Personas, qvæ



illi præsunt, eum in finem distingvunt, ut convitia,
quæ calamo; ut ore evomunt, pingere, eaque in
homines, qui labi ac culpari possint, non in Vicaria-
tum D E I directa esse, fingere possint. DEUS Te
increpet, Satana. Sanè, qvi Ministros in functio-
nibus sacrīs occupatos, sine læsione Ministerii, vio-
lare se posse putat, is Regi etiam, salvâ ejus Majestä-
te, maledicere poterit; quod ipsi Spiritus S. effato
repugnare novimus. Has autem D E I vices rece-
pit in se STEGERUS primūm, cùm Anno septimo
& quinquagesimo Diaconus ad D. Thomæ crea-
retur. Moram interim ut LÖFLERO compensa-
ret D E U S, & concionibus Sabbathicis in eodem
templo habendis præfectus, & innumeris benefici-
is ab Amplissimo urbis Ædili, Georgio Ulrico Wel-
schio, & Mercatore optimæ, seu Cœlum seu ter-
ram spectes, fidei Andrea Egero, per plures annos
affectus fuit, donec & ipse anno primo & sexagesi-
mo ad Diaconatum templi Thomani evehetur.
Quid hîc, *Beatisimi Viri*, prius laudem in Vobis,
quid posterius? In quo incipiam aut desinam? Ful-
men illud lingvæ Tuæ, Disertissime STEGERE, ac
mel oris Tui, Eloquentissime LÖFLERE, si apud
animum meum reproto & exprimere annitor, ipse
propè obmutesco. Zelum vestrum pro domo
Domini, vitam inculpatam, præclaram eruditio-
nem

nem , doctrinam salutarem & exquisitam cùm
pondero, protinus suppressor, ut oneri ferendo me
imparem esse sentiam. Melanthius olim Athenis
dixisse fertur, stare & conservari Remp. Athenien-
sem dissensione Oratorum, qvòd adversationes il-
lorum inter se tanquam pondera in trutinis opposi-
ta non paterentur alteram veluti lancē civitatis de-
primi. Absit, ut de Ecclesia Nostra simile qvid nobis
imaginemur. Perstitit hæc vestrâ, *Par Conjunctissi-
mum*, perstabit & Collegarum & Successorum
Vestrorum concordiâ perpetuò, nosqve omnes, cu-
juscunque conditionis simus, ad ejusdem virtutis,
qvâ res parvas crescere oportet, studium excitabit.
Inter tantarum Virtutum præmia, etsi longè majo-
ra in cœlo ipsis collata sint, si honorem Archi. Dia-
conatûs & Licentiaturæ, ad qvem uterque per gra-
dus legitimè ascendit : si felicitatem matrimonii,
qvam STEGERUS bis, LÖFLERUS ter expertus est,
numeraverimus, haud à linea veritatis nos aberrare
putabimus. Audio qvidem Gretserum Jesuitam
adhuc clamantem (l): Monstrosum esse hanc bene-
dictionem Cleri Lutherani, qvam è Conjugio ex-
pectet: Communem eam esse ei cum hominibus
vilissimis. Sed res salva est, postqvam id, qvod in-

D

ter

(1) In prefat. Libb. de benedictionibus. Item in Libris de funere Christia-
no & in Gratiis Cramerianis.

ter benedictiones numerat DEUS ipse, à Monacho
in maledictionem verti non posse, certò scimus. U-
tinam autem ex KOCHIIS suis, qvam amabilissi-
mam Sororum bigam postremùm Nostri auspica-
tò duxerant, hoc divinæ benedictionis specimen,
sicut pridem STEGERUS cum WELSCHIA sua sexi-
es, LÖFLERUS cum BERBIGIA semel , cum LEUB-
NÜZIA qvater, vivi videntesqve ulnis complecti po-
tuissent, qvod castissimis uteris inclusum illæ tene-
bant, viduæqve simul, simul matres, illætabili titu-
lorum conjunctione, ac risu neſcio an lacrymis ex-
cipiebant. Sed placuit D E O, Duum - Viros No-
ſtos, uti per omnem vitam studiis, functionibus &
actionibus, ita & fatis exæqvare, imò, qvi tam con-
juncti vixissent semper, ne morte qvidem diutiùs
disjunctos ferre. Mortui igitur estis, *Beatissimi Vi-ri*, sed ut perpetuò viveretis. Utriqve Annus ſuperi-
or finem ætatis eheu! nimis brevis attulit, sed qvi i-
nitium æternitatis utriqve fuit. Calor, qvi corpora
veſtra debilitavit, & ad mortem, ſuccumbentibus
Naturæ ac Medicæ artis viribus, disposuit, animas
veſtras è terra, ubi hodiè charitas refrixit, ad chari-
tatem ipsam, qvæ eſt D E U S, tranſtulit. Sed qvid
nobis, *Auditores*, relictum eſt præter triste deſide-
rium, planctum &, qvod optimum eſt, exemplar
absolutissimum : in qvod Vos, *Studioſi Juvenes*,
in pri-



in primis qvi Philosophiam cum Theologia felici matrimonio jungere cupitis, utrumque oculum dirigere tam potestis quam debetis. Virtutes singulas, qvæ à Vobis in oculis gerendæ sint, denuò recensere, opus non est. STEGERUM & LÖFLERUM imitamini; hoc satis est; sic omnes numeros Viri docti, pii Theologi, boni Christiani implebitis. Recordor, inquit alicubi (*m*) Camerarius, me puerο Lipsiæ Studiosos fuisse mille ac his plures. Nos ut tanti numeri jam recordemur, minùs necesse est, cùm singulari DEI gratiâ eum ante oculos habeamus, inq̄ue eo divinam benignitatem admirēmur & deprædicemus. Utinam in tanta copia STEGERI ac LÖFLERI similes quam plurimi sint! Utinam eādem viâ ad virtutis ac honoris fastigium descendant!

Imò, qvod felix, faustum ac fortunatum jubeat esse DEUS! jam ex pluribus aliqui publicè conspiciuntur tantorum Virorum Imitatores.

Ecquid in antiquam virtutem, animosq; viriles,

Et Pater Æneas & avunculus excitat Hector?

Sic non opus habeo qværere cū Principe Poëtarū, qvando Vobis *Auditores*, ostendere possum eos, qvi virtutes STEGERI & LÖFLERI feliciter incipiunt exprimere.

(m) *Epistol. famil. L. 4. pag. 333. ad Jo. Pfeilium, Medicum.*

Ze 6185 OK

mere. Cernitis enim, Auditores, astante Vobis in me-
dio Vestrum Juvenes & ætate & ingeniis & doctrina
moribusque omni ex parte florentissimos. Intelligi-
tis, quid à me expectent, & sibi, non sine merito-
rum & juris patrocinio jam decretum, conferri mo-
destè cupiant. Cùm enim non Baccho, ut Bacha-
laurei fortè nominari possint, sicut ineptissimus re-
centiorum Monachorum Franciscus Bonæ Spei (n)
ex ignorantia aut negligentia latine loquendi, hunc
titulum corrumpit, nec aliis vitiis ac vanitatibus,
sed virtuti, sed sapientiæ, planè in morem Duum-
Virorum nostrorum, qvos modò celebravi, pro
modulo ætatis dediti fuerint, suarumqve progres-
sionum specimina in Examine Nobis dare, non
absqve laude sustinuerint; ideo Laudatissima Fa-
cultas unanimibus suffragiis statuit, ut jam Titulus,
gradus & Jura Baccalaureatūs Philosophici, more
Majorum, à me ipsis conferrentur.

*Factò hòc, usitatis ceremoniis, finis huic Pane-
gyri feliciter fuit impositus.*

Diximus : Ast Tu Biga brevi mihi
tempore dicta,

Æternūm salve perpetuoqve vale!

S. D. G.

(n) Commentarii primi in univers. Aristot. Philosophiam pag. 26.

b017 M. 5.





SS. Theolo

Tho

Superiori

Et Hoc

Qvâ sex Pl

Cupidæd


L. VA

Typis &

Sidera Coe

THS

L



ix,
am reducta.

AS

N

mi, & ad D.

rissimi,

XXIV. Sept.

2124913

Panegyri,

ei solenniter

n literarum
iti.

TI, P.P.

CHÆLIS,

